Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0002-4

Carolus Frideric. Dingelstedt.
Blanckenburgo Cheruscus
Symb.
Constantia Fides Decet.
Halæ Magdeb. d. 14. Junii
1727.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0003-0

In dieſem Bande iſt folgendes befindlich

| | | | Bogen |
|---|---|---|---|
| 1. | Gundling / N. H. / de Jure Imperii in Etruriæ Ducatum | 1722. | 32. |
| 2. | Ludewig / J. P. / de Prærogativis Würtembergiæ Ducatus | 723. | 14½. |
| 3. | Hechtii / C. / de Obſidione binarum S. R. I. liber. Urbium | 724. | 2. |
| 4. | Brunnemann / Jac. / de Jure Ceremoniali circa Legatos. | 700. | 5½. |
| 5. | Hildebrand. J. H. / de Juribus quib. peculiaribus Reip. Norimberg. | 722. | 11. |
| 6. | Graſs. / Mich. / de Jure exequendi in Imperio | 720. | 5½. |
| 7. | Böhmer / J. H. / de Majeſtate Magiſtratuum majorum Imperii | 725. | 14. |
| 8. | idem, de Subſidiis pecuniariis Italiæ, Imper. præſtandis | 720. | 6½. |
| 9. | Treuer / G. S. / de Comitiis Corporis Evangelici | 727. | 14. |
| 10. | Moſer / Joh. Ja. / de Poteſtate Imperator. circa Conceſs. Privilegiorum | 720. | 4. |
| 11. | Gærtner / C. W. / de S. R. I. Elector. feudis et Offic. Bambergenſibus | 726. | 5. |
| 12. | Hopffgarten. / F. A. de / de Jure Vectigalium in S. R. Imperio | 723. | 11. |
| 13. | Kreſſii / J. Pa. / Obſervationes circa Proceſs. Cameræ Imperii, et Jud. Aul. | 718. | 16. |
| 14. | Hertius / J. Nic. / de commentitia diſtinct. inter Appanagium et Parag. | 709. | 6¼ |
| 15. | Thomaſii / Chr. / Vindiciæ diſtinct. inter Paragia et Appanagia | 709. | 12. |
| 16. | Obrecht / Ulr. / de Vexillo Imperiali | 725. | 6. |
| 17. | Horn. / C. H. / de Burggraviis Magdeburgicis | 709. | 13. |
| 18. | Maſcov. / Jo. Jac. / de Auguſtorum Germaniæ coronatione | 723. | 10. |
| 19. | Conringii / H. / Vicariatus Imp. Palatinatus defenſus | 721. | 10. |
| 20. | Schrift von der ſtreitigen Plönſchen Succeſſions Sache | 725. | 11 |

Summa 209¼ Bog.

oder 9. Alph. 2¼ Bogen

C. g. 7.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0005-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0006-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0007-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0008-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0009-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0010-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0011-4

Universitäts- u. Landesbibliothek
Halle
(Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0012-0

J. J.

DISSERTATIO
DE
# COMMENTITIA APANAGII ET PARAGII DISTINCTIONE IN ROM. GERM. IMPERII PRINCIPATIBUS PROFANIS ET COMITATIBUS.

QUAM
*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,*
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DNO FRANCISCO ERNESTO,
HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPE HERSFELDIÆ, COMITE IN CATTIMELIBOCO, &c &c.
*IN ALMA LUDOVICIANA*
PRÆSIDE
D. JO. NICOLAO HERTIO,
J. U. D. ET PROF. PRIMAR.
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI,
*DIE OCTOB. MDCCIX.*
SISTIT
*IN AUDITORIO SOLENNI,*
ADOLPHUS CAROLUS Bothi
SCHAUMBURGO - NASSOVIUS.

---

*GISSÆ-HASSORUM,* TYPIS HENNINGI MULLERI.

14

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0013-5

# DISSERTATIO
## DE
# COMMENTITIA APANAGII ET PARAGII DISTINCTIONE IN ROM. GERMANICI IMPERII PRINCIPATIBUS PROFANIS ET COMITATIBUS.

## CONSPECTUS.

§. I. *Etymon apanagii & paragii.*

§. II. *Apud Gallos quid APANAGIUM.*

§. III. *Quid PARAGIUM denotet.*

§. IV. *Joann Schilteri, hæc ad Romani Germanici Imperii Principatus & Comitatus applicantis, doctrina excutitur.*

§. V. *PARAGII ab eo adductæ* ſpecies quatuor *expenduntur.* Prima, *quando ultragenitus particulam territorii accipit regendam.*

§. VI. Altera : *quando eidem jura quædam eximia ſimul adjiciuntur.*

§. VII. Tertia : *quando poſtgeniti ſuperioritatis territorialis ſunt compotes, ut ut cum aliqua primum geniti prærogativa.*

§. IIX. Quarta : *quando poſtgeniti ſuperioritatem territorialem cum juribus omnibus & ſingulis nanciſcuntur.*

§. IX. Definitio *apanagii genuina traditur.*

§. X. *Et* diviſio *in* proprium & improprium, *quæ vindicatur.*

§. XI. *Quid* proprium?

§. XII. *Quid* improprium?

§. XIII. *Huic rectè accenſetur, ſi ſecundo genito territorii partes cum regalibus quibusdam attribuuntur.*

§. XIV. *Improprio apanagio perperam adſcribuntur* (1) *ſi quis partem inæqualem, & cum ea ſuperioritatem territorialem accipiat.*

§. XV. (2) *Si in regione indiviſâ inter ejus Dominos regimen per vices geratur.*

§. XVI. *Aut* (3) *Major natu ejus adminiſtrationem habeat.*

§. XVII. *Digreſſio fit ad jus primogenitu-*

genituræ in Comitatu Lippiano, jam ſeculo quarto decimo ſanctione Simonis III. Comitis in eo ſtabilitum.

§. XIIX. *Quod an mutatum fuerit teſtamento Simonis VI. Comitis, disquiritur.*

§. XIX. *Et negatur.*

§. XX. *Simul itur per præcipua ſuperioritatis territorialis jura.*

§. XXI. *Singulatim diſpicitur de homagio.*

§. XXII. *Subjicitur, quale ſit apanagium, de quo hucusque actum, an proprium, an potius improprium.*

§. XXIII. *Accedit aliud exemplum ex Haſſia.*

# *PRÆFATIO.*

NOn ſemper ea, quæ à magnæ famæ ſcriptoribus dicuntur, arripienda aut probanda eſſe, ſub illuſtri exemplo demonſtrare nobis eſt propoſitum. Pauci ſunt anni, cum in juris publici Romano-Germanici prudentiam invehi cœpit inſolitum Paragii nomen, & diverſa ejus ab apanagio indoles, ex diſciplina exterorum regnorum petita; quorum applicatio quàm noxia, quàm detrimentoſa ſolidis & uſitatis hucuſque in Romano Germanici Imperii publici juris principiis, dicam amplius, ipſi πρωτολογίας juri eſſe queat, ſi ex profeſſo oſtenderemus, nos operam minimè luſuros, imò veri amantibus gratiam facturos eſſe, exiſtimavimus. Teſtamur autem publicè, veritati heic unicè litatum, & nihil celebritati tantorum nominum, quæ ſummo ſuo merito in Jurisprudentia veneramur, detractum iri. DEUS conatui benedicat!

## §. I.

UT, quod nobis deſtinatum eſt, cognoſci liquidò queat, præmitti convenit, quid exteri vocabulo apanagii & paragii intelligant. Ubi etymo non libet immorari: nam apanagium deſcendere ab apanare, quod barbarâ latinitate ſignificat, panem ſive alimenta præbere, tam evidentibus teſtimoniis probavit Carolus Cangius *Gloſſar. voce apanare*, ut non ſit dubitandi lo-

cus. Sic cùm eadem latinitate *Pares*, qui ſunt ejusdem conditionis ſive dignitatis, denotaverint, inde proveniſſe paragium facile intelligitur.

§. II.

Apanagium, ut definit Cangius *d. gloſſ. voce apanamentum*, eſt, quod ad victum & in alimentum ſecundo genitis præſtatur & conceditur à parentibus. Souſtenance dicitur Petro de Fontanis in Conſilio c. 34. Quippe apud Gallos Baroniæ ſeu majora prædia ac feuda diviſionem non recipiunt, ſed ad ſolum primogenitum pertinent, qui tamen tenetur aſſignare apanagium fratribus ſuis ſecundo genitis ſeu certam quandam penſionem, uti & vocatur, id eſt, penſionem in alimentum pro dignitatis ac natalium ratione.

§. III.

Paragium apud Gallos ab apanagio diſtinguitur, &, teſte laudato Cangio, notat quicquid feudale à fratre primogenito ſecundo genitis in partem hereditatis datur, qui id ab ipſo primogenito fratre tenent, planè ac ille reliquum feudum conditione absque tamen homagio (quod is pro toto feudo dominico præſtat) uſque ad ſeptimam generationem; quâ finitâ, omnis ſanguinis affinitas extincta cenſetur: tum enim qui excipiunt homagium præſtant heredibus primogeniti. Iidem Galli diſtinctionem faciunt inter paragium & fratragium ſive fratriagium, frerage ſive frareſche, de quo prolixè diſſerens idem Cangius *diſſert. ad Joinvillam 3.* inter alia ſcribit: *La tenüe en parage a beaucoup de rapport avec la tenüe en frerage: Tenir en parage, ſelon Bouteillier, eſt lors que l'ainé faiſant partage à ſes puinez, lui abandonne une partie de ſon Fief, par exemple le tiers, ou moins, ſuivant que les Coutumes ordonnent; car alors les puinez tiennent en parage de leur ainé la partie, qui leur eſt écheüe par la raiſon de parage & ae ſucceſſion.* Et alors les ainez font les hommages aux chefs Seigneurs pour eux & leurs puinez, & les puinez tiennent des ainez par parage, ſans hommage. Ce ſont les termes de la Coutume de Normandie. chap. 8. art. 128. *La tenüe par parage differre de*

*celle par frerage en ce que par la derniere, le puiné eſtoit obligé de faire hommage à ſon ainé d'abord qu'il eſtoit ſaiſi de partie du Fief ce qui n'eſtoit pas du Parageau, c'eſt à dire du puiné poſſeſſeur du Fief en parage, qui n'eſtoit obligé à l'hommage enuers ſon ainé Parages, qu'en trois cas.* Quos tres caſus ibi explicat. At Stryckius *Diſſert. 8. de ſucceſſion. ab inteſtat. c. 11. §. 4.* paragium, quod alii partagium vocant, definit cum Choppino & aliis, *titulum, quo feudi pars minor à fratribus natu minoribus* (qui omnes tantum trientem conſequuntur) *eorumve poſteris pari jure à natu majori poſſidetur, ut majori fratri nec fidelitatem debeant.*

## §. IV.

Hæc quemadmodum ad Germanici Imperii regiones transferantur, libet *ex ſuccincta expoſitione de paragio & apanagio* celeberrimi JCti D. Johannis Schilteri (quem enim potiorem ei doctrinæ Advocatum dabimus?) audire. Conqueritur ille *§. 22.* apanagium cum paragio vulgo confundi: apanagium enim non eſſe jus reale, nec partem hereditatis, ſed duntaxat fructuum perceptionem debitam ex obligatione perſonali & condictione ex pacto. Ante §. 17. dixerat: apanagium in pecunia fructibusque, qui ex certis prædiis aſſignentur, conſiſtere jure uſusfructus; perinde ut dotalitium atque alimenta cum vita finiantur. Conf. *l. 2. Inſt. Jur. Publ. tit. 9. §. 13.* Enimverò heic multa notari merentur. Ipſe §. 36 fatetur: *denominationem apanagii improprii* (de quo infra ex profeſſo agemus) *jam irrepſiſſe in forum, ut etiam in teſtamentis, pactis & ſententiis Principum reperiatur, nec nos oportere ita eſſe delicatos, ut ejusmodi loquendi modum eliminare velimus, aut res ipſas pro nullis habendas. Sanè narrandum eſſe cum multis, & loquendum cum vulgo, cum verba valeant ſicut nummi.* Ecquis igitur privato permiſit, doctrinam antea non receptam in jurisprudentiam Germanicam introducere? Et ſi paragium, cur non etiam fraragium civitate Germanica donamus. Quod ſi vocabula Germanica, Abfindung & Deputat, examinemus, ea tam de proprio quàm improprio apanagio

nagio uſurpari, in propatulo eſt. Quanquam Limnæus *ad A. B. tit. 25. §. 2. obſ. 11.* ſcribat: ſe non dubitare, magnam eſſe differentiam inter abgetheilte und abgefundene Herrn / de quo diſcrimine ipſe viderit. Nam alii duo hæc pro ſynonymis apanagiatorum habent. vid. Vitriar. *l. 3. J. P. tit. 19. §. 66.* Quis verò unquam audiit in Germania apanagium propriè ſic dictum cum apanagiati vita finiri? Imo & ille, qui apanagium in pecunia aut reditibus, in certa regionis parte aſſignatis, accipit, jus reale nanciſcitur, in heredes ſuos, ſaltem maſculos, tranſiturum. Hinc apanagium portio & onus feudi dicitur. v. Georg. Henric. Springsfeld *tr. de apanagio c. 12. n. 27.* Nec apanagium ſemper debetur ex pacto; ſed interdum etiam ex ultimis defuncti tabulis aut lege in conventibus provincialibus ſancitâ. Et quod apanagium per proviſionem ad modum uſusfructus conſtitui dicimus, id duntaxat eò pertinet, apanagiarum jus alienandi non habere, quoniam, deficiente ejus prole maſculâ, apanagium ad domum primogeniti revolvitur. vid. Mylerus *de Stat. & Princip. Imp. c. 22. §. 5.* Planè ut uſufructuaria regna dicimus, non quod per omnia uſusfructus naturam habeant, ſed quod in iis alienandi facultas Regi ſit præcluſa. Quanquam nihil vetat, ex pacto alienandi jus, ſaltem ex parte competere apanagiato. Ita in pactis notabilibus inter Ennoinem Comitem Oſtfriſium & ejus fratres quatuor, Guſtavum, Johannem, Chriſtophorum & Carolum Ottonem A. MDCI. 26. Januar. maximè circa apanagia initis, in quibus unicuique fratrum apanagiatorum 50. millia thalerorum aſſignantur, inter alia convenit: aber gleichwohl ſoll in der jenigen Brůder / welche 25. Jahr alt worden ſeyn / freyen Willen / Macht und Gewalt beruhen / entweder von dero zu ihrer Ausrůſtung verordneten / und Jhme obberůhrter Maſſen bezahlten Haupt-Summa, oder da ſich dieſer Fall bey ſeinem Leben nicht begeben / von dem Uberſchuß der jåhrlichen Leib-Renthen / nichts wenigers als von den übrigen allen ſeinen Gůthern und Vorrath

durch Teſtamenta oder andere beſtändige letzte Willen/ wie auch durch Handlung und Contract unter den Lebendigen rechtmäſſige diſpoſition, Ordnung und Vergleichung zu treffen / daran Ihn der Regierende oder andere ſeine Brüder nicht zu hindern. Bey welchem Articul dann/ Wir Uns gegen einander brüderlich vor Uns und unſere mitbeſchriebene ferner beſtändig verpflichtet und verbunden/ daß von nun an und zu ewigen Tagen/ vor Uns und allen unſern Nachkommen/ bey dieſen Ubergaben / Handlungen und Verträgen unſers Gräfflichen Stamm-Hauſſes Oſt-Frießland und deſſen regierende Herrn Wohlfahrt und Uffnehmen in acht zu nehmen/ und nach Möglichkeit zu befördern ; Und wollen derowegen hiermit geſetzt und verordnet haben/ do Wir jüngere Brüdre / wie auch alle Unſere Nachkommen einer- oder mehr ohne ehelich gebohrne Leibes-Erben verſterben würden/ daß Unſere Teſtamenta und letzte Willen/ do Wir deren einen oder mehr auffgerichtet/ wie auch alle andere Handlung und Ubergaben unter den Lebendigen ferner und weiter nicht gültig ſeyn ſollen/ denn daß der dritte Theil aller Unſer Verlaſſenſchafft/ Wir hätten dieſelbe von unſern Brüdern zu unſerer alimentation, Abefindung und Ausſtattung/ oder von andern durch Göttlichen Seegen gewonnen/ erworben/ ererbet und erlanget / Sie wären Erben oder Lehn/ liegend oder fahrend/ an den regierenden Grafen zu Oſt-Frießland komme und falle/ und ſonderlich der dritte Theil des ausgezehleten Vermählung und Ausſtattung Geltes jure generalis & perpetui fidei commiſſi der Grafſchafft Oſt-Frießland / ſo lange dieſelbe von jemanden Unſers Geſchlechts/ Stammes und Nahmens regieren wird / wiederumb zugetheilet und zum voraus gefolget werden; Jedoch do einer der verehlichten Brüder von dieſem dritten Theil und fideicommiſſo ſeiner Gemahlin uff Ihr Lebenlang den Uſumfructum und nießlichen Gebrauch vermachen wolte / daſſelbe ſoll Ihm ungewehrt ſeyn/ und iſt ſeine Gemahlin dabey billich zu ſchützen und Hand zu haben/ und wann Sie verſtirbt/ ſoll obbeſag-

ter dritte Theil pleno jure dem regierenden Grafen gefolget werden.

Würden aber einer oder mehr det verheuratheten Brüder nach dem Willen GOttes ohne ehelich erzeugte Leibes-Erben/ und inteſtat ohne Veranlaſſung eines letzten Willens verſterben / ſo ſollen eosdem jure perpetui & generalis fideicommiſſi zwey Theil des bezahleten Ausſtattung-Geltes und von aller anderer ſeiner Verlaſſenſchafft Sie ſey gelegen wo Sie wolle dem Regierenden Grafen von Oſt-Frießland alleine verbleiben/ aber der dritte Theil auf die nechſte Erben ab inteſtato ſo viel deren Zeit ſeines Abſterbens befunden werden/ kommen und fallen/ und alſo/ auch anders nicht/ ſoll es auch uff den Fall wann ein unverehlichter Bruder inteſtatus und ohne Verlaſſung eines beſtändig letzten Willens verſterben möchte/ mit der Succeſſion an ſeinem hinterlaſſenen Vorrath der erſparten Leib-Renthen/ und was Er ſonſt bey ſeinem Leben/ durch Erb-oder andere Fälle/ erworben/ gewonnen und erlanget/ gehalten werden.

§. V.

Paragii quatuor ſpecies in Germanici Imperii regionibus profert laudatus Schilterus §. 28. 29. Prima eſt, quando ita partitio fit inter coheredes & primogenitum, ut, ſalvâ hujus prærogativâ, illi acquirant terras & dominia in eas, non ſolum uſumfructum. Neque verò hanc ſpeciem poſſe dici aut eſſe apanagium, quippe quod non veniat jure dominii, nec coheredis. Sed nec requiri hic, ut ſint regentes Domini, hoc eſt, ut participes ſint regiminis principalis, der gantzen Landes Regierung/ quæ Primogenito fortè ſoli competit: ſufficere enim, quod gaudeant jurisdictione territoriali particulari in ſuos ſubditos: adeoque ſaltem jure Cancellariæ aut etiam regiminis particularis. Nam in verbis nos oportere eſſe faciles, modo res ſecundum rationem & analogiam juris intelligamus. Exemplum ponit in Sereniſſima Domo Palatina, in qua Alexander Comes Palatinus Veldentinæ lineæ Ann. MDXIV. teſtamento diſpo-

ſuit

ſuit: Wollen auch mit dieſer Conſtitution und Satzung des Erben die andere unſere Söhne und Töchter aus einiger Unmildigkeit nicht enterbet oder fürgangen haben/ allein aus vorerzehlten Ehehafften Urſachen gethan/ und die Hoff-proviſion oder penſion, ſo ihnen/ alldieweilen Sie nicht verſehen ſeynd/ an ſtatt legitimæ zugeeignet haben. Nos verò ſpeciem hanc paragii eſſe negamus. Etenim ubi primùm genito competit ſuperioritas territorialis ſive regimen univerſale, quicquid etiam ſecundogenitis de territorio attribuitur, non poteſt non apanagii jure cenſeri. Et regimen illud particulare minus rectè jurisdictio territorialis inſignitur, ſi juriſdictio eſt ſynonymon ſuperioritatis: nam ſuperioritatis ſuperioritas non datur, niſi valdè ἀκύρως loqui velimus. Sanè regimen ὑπάλληλον ſive ſubordinatum jus territorii non mutat, ut liquet exemplo Landſaſſiorum, præſertim Comitum, *qui*, ut Schilterus ipſe *l. 1. Inſt. Jur. Publici tit. 26. §. 4.* poſt Zieglerum obſervavit? *præter jus ſuffragii in diætis habere ſolent jurisdictionem in ſuos, jus ſubcollectandi, recipiendi novos ſubditos, homagii exigendi, detractionis,* Abzug-Geld/ Nachſteuer/ *mulctarum, jus prælationis in liberis ſubditorum ſervitia mercenaria ſubeuntibus, jus nundinarum vulgarium ſive hebdomadariarum, jus pecuniæ forenſis, jus circa res venales, condendi ſtatuta, jus canonis, operarum,* Frohnen/ *jus defendendi aut agendi pro ſubditis.* Conf. *Diſſert. de ſubject. territ. §. 4 præſertim in notis.* Nimirum ex civilis prudentiæ ſcitis novimus, aliud eſſe Statum reip. aliud adminiſtrationem ejus, ex qua formam civitatis dijudicare minimè convenit. v. *El. pr. civil. part. 1. ſect. 6. §. 13.*

## §. VI.

Altera ſpecies eſt, & quidem opimior, quoties territoriali jurisdictioni etiam alia regalia majora adjiciuntur, veluti jus metallifodinarum, jus monetandi, aut alia. Enimverò nec hanc paragii eſſe ſpeciem concedimus. Nam regalium eeercitium non tollit ſuperioritatem territorialem: quid enim frequentius eſt, quam in territorio alterius regalia quædam velut ſer-

ſervitutes publici juris exerceri? Et privatos interdum tenere regalia, compluribus exemplis teſtatum eſt. Quanquam jus nummos cudendi inter jura ſuperioritatis territorialis minus rectè refertur, & jus circa metallifodinas potius regalibus minoribus adnumerari debet. De exemplis infra diſpiciemus.

## §. VII.

Tertia paragii ſpecies eſſe dicitur, quoties omnimoda ſuperioritas territorialis juxta ratas portionum hereditariarum communicatur. Ut contigerit in Principatu Lautereck & Veldenz per pactum Marpurgenſe, quod vocatur, A. MDLIII. initum. de quo ſæpe laudatus Schilterus *§. 25.* Et in Sereniſſima Domo Saxonica Electorali, in qua Joannes Georgius I. teſtamento A. MDCLII. condito (quod Joann. Theodorus Sprengerus *Lucern. juriſpublici c. 2. p. 104. ſequ.* exhibet) quicquid præter Electoralem Circulum territorii reliquum erat, in quatuor partes diviſit, idque honorabili inſtitutionis titulo. Huc referri etiam poteſt diviſio Imperii, à Ludovico Pio inter filios tres Lotharium, Pippinum & Ludovicum A. DCCCXVII. inſtituta, apud Stephan. Baluzium *tom. I. capit. ad d. A. p. 574.* Inſigniuntur in ea filii ſecundo & tertio genitus regiis nominibus, & quisque partem regni cum jure tributorum, cenſuum, metallorum, & cunctos honores intra ſuam poteſtatem diſtribuendo. Sed additur in §. 4. *Volumus, ut ſemel in anno, tempore opportuno, vel ſimul vel ſingillatim, juxta quod rerum conditio permiſerit, viſitandi & videndi & de his quæ neceſſaria ſunt, & quæ ad communem utilitatem, vel ad perpetuam pacem pertinent, mutuo fraterno amore tractandi gratia ad ſeniorem fratrem cum donis ſuis veniant. Et ſi fortè aliquis illorum qualibet inevitabili neceſſitate impeditus venire tempore ſolito & oportuno nequiverit, hoc ſeniori fratri legatos & dona mittendo ſignificet; ita duntaxat, ut cùm primùm poſſibilitas congruo tempore adfuerit, venire qualibet cavillatione non diſſimulet.* & §. 7. *Item volumus.*

*lumus, ut nec pacem nec bellum contra exteras & huic à Deo conſervato Imperio inimicas nationes abſque conſilio & conſenſu ſenioris fratris ullatenus ſuſcipere præſumant. Impetum verò hoſtium ſubitò inſurgentium vel repentinas incurſiones juxta vires per ſe repellere ſtudeant.* & §. 8. *De legatis verò, ſi ab exteris nationibus vel propter pacem faciendum, vel bellum ſuſcipiendum, vel civitates aut caſtella tradenda, vel propter alias quaslibet majores cauſas directi fuerint, nullatenus ſine ſenioris fratris conſcientia eis reſpondeant, vel eos remittant. Si autem ad illum de quacunque parte Miſſi directi fuerint, ad quemlibet illorum primò pervenerint, honorificè eos cum fidelibus Miſſis uſque ad ejus præſentiam faciat pervenire. De levioribus ſanè cauſis juxta qualitatem legationis per ſe reſpondeant. Illud tamen monemus, ut quomodocunque ſe res in confinibus eorum habuerint, ſemper ad ſenioris fratris notitiam perferre non negligant, ut ille ſemper ſollicitus & paratus inveniatur ad quæcunque neceſſitas & utilitas regni poſtulaverit.* Ex quibus intelligimus, fratres ultragenitos primum geniti majeſtatem comiter colere fuiſſe obligatos. An autem ſpecies hæcce paragii nomine rectè appelletur, non temerè dubitamus. Etenim paragia Gallorum tantum in feudis habent locum, & in illis primogenitus ſolus ſeniori vaſallagium præſtat uſque ad ſeptimam generationem, poſt quam ex ſecundò genitis nati ſacramentum dicunt primogeniti poſteris. At in regionibus Germaniæ quàm multa allodiali jure tenentur? jam & ipſe Schilterus aſſerit §. 30. omnibus paragii ſpeciebus commune eſſe jus exigendi homagii à ſubditis ſuis (quod quomodo verum ſit, infra diſpiciemus) ſed & viciſſim homagii Imperatori vel Regi præſtandi ratione ſui territorii immediati. Mittamus ergo vocabulum paragii & planius dicamus, eſſe Principatus vel Comitatus hujusmodi dividuos, ſed cum aliqua primogeniti prærogativa.

## §. IIX.

Tantò minus, ſi ex monito Imperatoris Juſtiniani conſequentia rebus nomina eſſe ſtudendum, quarta ſpecies appella-

tione paragii commodè inſignietur. Eſſe illa dicitur, quoties ita ultragenitis portiones terrarum competunt, ut præter ſuperioritatem territorialem etiam ejus ſtatus immediati cum voto & ſeſſione in Comitiis Imperii & circularibus obtineant. Unum exemplum Principatus Veldentini huc adfert D. Schilterus §.29. At plura ſunt. Illuſtre in Sereniſſima Domo Haſſiaca habemus. In illa D. Philippus Magnanimus, univerſæ Haſſiæ Landgravius, teſtamento A. MDLXII. facto provincias in duodecim uncias partitus, D. Guilelmo Caſſellano ſemiſſem, inferiorem nempe Haſſiam & meliorem Comitatus Ziegenhainenſis Comitatus partem, D. Ludovico Marpurgenſi tres uncias, ditionem ſc. ad Lanum cum Niddæ Comitatu, adſcripſit, D. Philippum verò atque D. Georgium in dimidiam quadrantis, illum nempe ad inferiorem, hunc ad ſuperiorem Cattimeliboci Comitatus partem vocavit. v. Acta Haſſiaca fol. 87. Abhinc poſt mortem teſtatoris quisque cum ſuffragio peculiarem in Imperii Comitiis accepit. In Sereniſſima Domo Mecklenburgica A. MDCXI. inter Principes Adolphum Fridericum & Joannem Albertum II. per transactionem Varenholdinam ita convenit, ut æquâ ſorte divideretur patrimonium, & ſuum quisque Principatum obtineret, nec alter ab alterius penderet arbitrio. Ut nuper memoravit Fridericus Thomas *analect. Guſtrov. period. 3. §. 17.* Alia exempla ex Sereniſſ. Saxonicis & Brandenburgicis Domibus, ubi Principatibus diviſis, quisque ſedem cum peculiari voto in Imperii Comitiis occupavit, annotaverunt Bertramus *de comitiis §. 41.* Limnæus *l. 9. J. P. c. 1. n. 54.* & *tom. 1. addit. ad l. 1. p. 75.* In exemplis ſanè hiſce nihil eſt paragii, niſi vocabulo ludere velimus; nam revera facta diviſio cum ſuperioritatis territorialis jure, etſi portionibus interdum inæqualibus.

## §. IX.

Exploſis ita è Germanico Imperio paragii ſpeciebus, jam verus apanagii genius nobis indagandus eſt. Varias ejus defi-

nitiones Springsfeldius *c. 1. de apanag. n. 40. & ſequ.* adduxit. Ipſe definire maluit, aſſignationem proviſionalem alimoniæ Principibus poſtgenitis factam. Mihi luculentius accuratiusque videtur poſſe definiri penſio, quam primogenitus vel qui de ejus familia eſt, ſuperioritatis territorialis compos, in pecunia vel reditibus ex certa regionis particula ultragenito hujusve heredibus præſtat. Quod ſi per uſumfructum definias, admitti id poteſt, modo uſusfructus Teutonicus intelligatur, qualem vaſalli habent. Cæterùm ex definitione hac liquet, apanagium eſſe haut poſſe, ſi primogenitus ſummæ poteſtatis in regno ſucceſſivo, aut ſuperioritatis territorialis in regione Germanici Imperii non ſit compos. Quod verò Springsfeldius *c. 12. de apanag. n. 9. ſequ.* ait, apanagium per modum diviſionis non fieri, ſed per modum proviſionis, nec conſiſtere in quantitate certa, ſed incertâ, admitti universè nequit. Etenim, ut à poſteriori hoc incipiam, nihil frequentius eſt in Germania, quàm ut certa pecuniæ quantitas quotannis ſolvenda ultragenitis aſſignetur. Schilterus *l. 2. J. j P. tit. 9. §. 13.* ait, de quantitate apanagii aut conveniri per pacta familiæ, aut eam conſtitui in ultimis voluntatibus, aut arceſſi ex obſervantia. Nec inſolens eſt, partem quandam territorii etiam per modum diviſionis, licet ſine ſuperioritatis territorialis jure, ultragenito attribui. Idque ipſe fatetur cum multis aliis Springsfeldius *c. 8. n. 27.*

## §. X.

Idem Springsfeldius *c. 2. ab init.* apanagium, velut genus analogum, ſive nomen πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς, diſpeſcit in proprium & improprium. Et illud quidem ait ſtrictam apanagii naturam retinere. At diviſionem hanc rejicit D. Schilterus *§. 32 ſequ.* Quod non mirabitur; qui meminerit, ipſum ſpecies quaſdam, apanagio adſcribi ſolitas, ad paragium retuliſſe. Nimirum cauſatur, improprias ſpecies demum illas eſſe, quæ formam & eſſentiam eandem retinent, ſed naturam alterant, ſive de naturali-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0026-7

ralibus quædam remittunt: atqui apanagium improprium, quod vocant, non retinere eſſentiam apanagii, hoc eſt, modum proviſionis, ſed incidere in ſpeciem contradiſtinctam, diviſionis ſc. etſi inæqualis. Nullum enim apanagium jure diviſionis dari poſſe, ſed per modum proviſionis. Igitur territorium, provinciam præfecturam, jure legitimæ datam, vel titulo inſtitutionis honorabili relictam, vel per diviſionem fraternam, non habere formam vel eſſentiam apanagii, proviſionem ſc. ſed diviſionem, adeoque perperam dici apanagium. Nos contra contendimus, peti ratione hac id, quod eſt ἐν τῇ ἀρχῇ: nam non diviſio, ſed modus diviſionis, ſi ſc. portio diviſa cum jure ſuperioritatis territorialis ultragenito attribuatur, eſſentiam apanagii tollit, ut mox liquidum faciemus. Ne dicam nunc, quàm obſcurum & ambiguum ſit proviſionis vocabulum. Igitur retinenda diviſio hæc, modo rectè explicetur, & habeatur ut diviſio analogi in ſua anolagata, quemadmodum in ſcholis Dialecticorum loqui ſolent.

## §. XI.

Nimirum illud cenſetur apanagium proprium, cum primogenito ſuperioritas territorialis cum omnibus ſuis partibus ſalva, pura, illibata & integra manet; quod fit, ſi apanagium in certa pecuniæ quantitate, aut prædiis latifundiisve, tantum ad fructus reditusque inde percipiendos, conſtituitur. Id enim Reges ſolent in regnis, ubi jus primi natus obtinet: Analogam autem regiæ poteſtati ſuperioritatem habent regionum Domini in Germania. Ita Roboamus filiis minoribus, quos per oppida limitanea diſtribuerat, *præbuit eſcas plurimas*, ut eſt *II. Paralipom. XI, 23.* ubi H. Grotius notat: *dedit illis Panagia, ut loquuntur Galli, exemplo Abrahami.* Geneſ. XXIV, 6. Quod & Joſaphatus ſecutus legitur II. Paralipom. XXI, 3. De Electoratibus Carolus IV. Imp. Aur. Bulla tit. XXIV. §. 2. *Primogenitus apud alios fratres & ſorores ſe clementem & pium exhibebit continuò, juxta*

*datam ſibi à DEO gratiam & juxta ſuum beneplacitum & ipſius patrimonii facultates, diviſione, ſciſſione ſeu dimembratione Principatus & pertinentiarum ejus ſibi modis omnibus interdictâ.* Fridericus II. Imp. Duci Auſtriæ, à ſe novè in Regem creato, conceſſit apud Petrum de Vineis l. 8. ep. 26. *ut ſemper major natu ſeu ſenior ex generatione ejus in regno ſuccedat, alii verò heredes minores natu non habeant aliud, niſi quod ex Regis gratia poterunt obtinere.* Conf. de aliis Principatibus, regnis etiam, Nicol. Betſius *de pactis illuſtr. famil. c. 8. §. 7. Elem. Pr. Civil. part. 2. ſect. 5. §. 10. in notis.* Ita Joannes Adolphus Dux Holſatiæ teſtamento Anno MDCVIII. cavit: Daß in denen Fürſtenthumen Schleßwig Hollſtein ꝛc. ꝛc. deren incorporirten Landen der erſtgebohrne allein ſuccediren und den andern Gebrüdern/ wann Sie zu ihren minderjährigen Jahren gekommen/ eine gewiſſe Gelt-penſion, ſo lang biß Dieſelbige zu geiſtlichen Dignitæten befördert werden/ reichen laſſen ſolte. Quam voluntatem ſecundogenitus Dux Joannes Anno MDCXXIV. peculiari cautione confirmavit. In Sereniſſima Haſſiaca Domo lineæ Darmſtadinæ inter D. Ludovicum, D. Philippum & Fridericum fratres A. MDCVI. convenit in der Heſſen Darmſtadiſcher Erb-Vereinigung apud Sprenger. *Lucern. Imp. p. 190. ſequ.* Daß unter Ihnen und Ihren Nachkommen Deren Linien Fürſten zu Heſſen/ nicht mehr als ein regierender Herr ſeye/ die andern aber ſich nach Gelegenheit der Lande mit Gelt oder in andere Wege ablegen laſſen ſolten. Quam pactionem Rudolphus II. Imp. A. MDCVIII. confirmavit. Mitto alia exempla. Ubi autem tale apanagium obtinet; ſecundogeniti quidem iisdem titulis, quibus primogenitus gaudet, uti conſueverunt. Nam ſuo jam tempore Joannes à Leidis l. 29. c. 2. ſcripſit: *Wilhelmum & Albertum dici Duces in Bavaria, non quod Bavariam poſſiderent, ſed quod ſanguine Bavarorum nati eſſent: Ducatum enim Auſtriæ & Bavariæ hoc in ſe comprehendere, ut omnes de ſtipite eorum prodeuntes dicantur Duces utriusque.* Quanquam olim ſecus fuerit,

rit, ut poſt alios docuit Illuſtr. D. ab Eyben *Diſquiſit. exoteric. de titulo Nobilis p. 13. ſeqq.* Conf. *Diſſertat. de ſpecial. Germanic. Imper. rebuspubl. ſect. 2 §. 11. in not.* Tamen eoſdem ſubeſſe primogenito, ut regionis Domino, rectè aſſerit D. Vitriarius *l. 3. Inſt. Jur. public. tit. 17. §. 14. ſequ.* Conf. *Diſſertat. de ſubject. territor. §. 6.* Sanè novimus Principem, qui ſuperiori ſeculo Principi agnato apanagiato concubinam, quam is in arce ſua clanculum habebat, auferendam ac in ergaſtulum abducendam curavit. Nec obſtat, apanagiatos titulis & dignitate primogenito pares eſſe, id enim ad æqualitatem poteſtatis non pertinet. Et quod in *Ordin. Camerali part. 2. tit. 2.* apanagiatis jus auſtregarum conceditur, id ſingulari jure conſtitutum fuit, ne contra eos coram primogenito aliis aleam litis ſubire eſſet neceſſe.

## § XII.

Apanagium improprium quidam conventionale vocant, non ſatis, ut puto, convenienter: nam ut teſtamento improprium conſtitui, ita conventione proprium fieri poſſe apertum eſt. Verè Sprenger in Lucern. Imp. p. 215. *Differt,* inquit, *primogenitura & apanagium juxta diverſa loca Germaniæ tam circa modum introductionis, quàm ratione jurium. Alibi introductum eſt jus primogenituræ per teſtamentum, ut in Bavaria, alibi per pactum, ut in Haſſia. Ratione jurium non uniformia ſunt in Germania apanagia, tam reſpectu illius quod conceditur apanagiatis, quàm & intuitu jurisdictionalium, ita ut certa regula hic poni non poſſit, ſed res tota dependeat à pactis familiarum: alibi apanagium ſolum in pecunia non in terris conſtituitur, ut in Domo Brunſuicenſi: alibi datur optio apanagiatis an quotam ſuam in immobilibus an in ære accipere velint, ut in Ducato Würtenbergico: alibi hæc optio relinquitur primogenito, ut in linea Haſſo-Darmſtadina. Alibi plus, alibi minus habent jurisdictionis, ita tamen ut communiter ſpecies jurisdictionis territorialis non exerceant.* Rectius id ergo definimus, ubi primogenitus quidem

dem eſt Regionis Dominus, ſed apanagiatus, certam regionis partem regendam accipit, & quidem interdum cum quibuſdam regalibus, interdum ita, ut primogeniti ſuperioritatis territorialis exercitium temperetur, quando cum eo in nonnullis juribus ſecundogenitus concurrit. Refragatur heic iterum Schilterus *d. expoſit. §. 26.* & nominatim Springsfeldium, qui ſecundogenitum, cum terris ſuis etiam regalia ſuperiora accipientem, in numerum apanagiatorum cum vulgo Doctorum retulit, ſibi refutandum ſumit, quoniam terræ hæ cum regalibus ſint territoria, aut partes totius territorii in partes diviſi, quod adverſetur naturæ apanagii. Enimverò heic eadem locum habent, quæ ſupra §. 10. repoſuimus. Diviſio territorii per partes, quas hic vel ille hereditario jure adminiſtrandas accepit, nihil officit ſuperioritati territoriali. Liquet hoc exemplo Comitum & Baronum in ditionibus Auſtriacis, qui licet ampla terrarum ſpatia cum eximiis juribus teneant, nihilominus territoriali jurisdictioni ſubſunt. De Sileſiæ Proceribus Nicol. Henelius Sileſiograph. c. 7. *Principes Sileſiæ, tam eccleſiaſtici, quam ſeculares, ſuis in Ducatibus & territoriis ampliſſimam poteſtatem, licet Bohemiæ Regibus obnoxiam, habent: & arbitratu adeo ſibi ſuo Conſiliarios, cum equeſtris ordinis, tum togatos & juriisperitos legunt præfecturasque ac magiſtratus mandant. Quanquam illis etiam Ducatibus ſua cuique privilegia & conſuetudines, in quibus Principes haud facile quid immutandum ſibi cenſent. Baronibus liberis eadem ferè quæ Principibus toto Baronatu ac diſtrictu poteſtas eſt.* Conf. Schilter. *l. 1. Inſt. Juris public. tit. 24. §. 2.* Nihil dicam de Comitibus, qui Henrico Landgravio Thuringiæ & ejus poſteris A. MCCXLIIX. ſe ſubjecerunt. v. *Diſſert. de ſubject. territor. § 3 p 370. ſeq.* Sanè Landſaſſios etiam eſſe poſſe, qui ab Imperatore regalia tenent, oſtendit Benjamin Leuber *diſquiſit. de Stapula Saxonica n. 903. ſequ.*

## §. XIII.

Illud cui dubium videri poſſit, ſi Princeps, vel Comes, vel

vel Baro in teſtamento ſuo caveat, ut primogenitus ſit Dominus regionis, Landes-Herr/ ſecundo autem genito terras quasdam attribuat gubernandas cum nonnullis regalibus, vel ſimul etiam diſponat, ut nonniſi cum hujus conſenſu regimen in aliquibus reipubl. negotiis exerceat, annon præſumendum ſit, teſtatorem voluiſſe ſecundogenitum in conſortium ſuperioritatis territorialis admittere? Nos id negandum exiſtimamus. Nam conjectura, quæ pro primogenito capitur, eſt favorabilis: quoniam partitio frangit opes & parit facile diſcordiam eò acriorem, quò magis ſunt propinqui, qui Principatum diviſerunt: *difficilia enim bella fratrum, & qui ſine modo amarunt, iidem ſine modo etiam odio habent.* ut ait Ariſtoteles *VII. Pol. 7.* E contrario jus primorum natalium opes, ſplendorem dignitatemque familiarum conſervat, & certamina ex diviſione ortura avertit. Teſtantur hiſtorici, Sileſiæ Principes, ortos ab Uladislao, ut numero plures, ſic opibus diſpares, cum jura neceſſitudinis inter ſe colere neſcirent, & eo invidentiæ uſque progrederentur, ut ne ab inſidiis quidem mutuis ac cædibus abſtinerent, tandem in Joannis & Caroli IV. Bohemiæ Regum caſſes incidiſſe. Nicolaus Burgundus *l. 1. hiſt. Bavar. ad A. MCCCXL.* obſervavit, legem de non ſecanda Bavaria ſaluberrimam, quæ illo tempore condita fuit, à poſteris negligenter habitam, magnitudinem Ducatus ita laceraſſe, ut ſparſæ opes in plures ingentes titulos vix æquarint. Ipſos denique inter ſe inimicos & æmulos, dum potentiæ incrementum, quod aliunde petendum erat, à ſe mutuò exigerent, alienis injuriis familiam aperuiſſe. Nec alienum hinc eſt, quod narrat Joannes Barclajus in icone animorum c. 5. *Cum aliquando de dividendo in Saxonia principatu ageretur, & legum ac conſuetudinum periti convenirent, iisque in conclavi ſedentibus adeſſent litigantes fratres, emotæ mentis vir, ſed innoxiâ jucundâque inſaniâ conſuetus delectare audientes, in id ſecretum perrupit, quem grandior natu ex Saxonicis fratribus intuens (nam is illius Aulæ cibisve aſſueverat) Vis autem & tu, inquit, ſententiam dicere de herciſcundæ familiæ rebus? At ille, & quidni, inquit, velim? Expectaverant omnes ab*

 *amente*

*amente ridiculi leporis venuſtatem. Igitur rogare perſeverant, ne in tanta re ſuum conſilium deeſſe pateretur. Sed ipſe negabat, niſi veſtis, qualem juriſperiti induebant, ſibi daretur, tantæ conſultationi miſceri; cum illa ſe ſapientiam eſſe ſumturum. Hilarior genius omnes invaſerat, adeò ut ipſius quoque herus non ſine maximo riſu juberet, de penu ſua produci ſuffultam pellibus togam, injicique capienti. Quam ut ille curiosè aptavit, bis terque per triclinium ſpatiatus, rogare Dominum cœpit, ecquid ſe illa veſtis deceret? Egregiè, inquit. Sed ſupereſt, ut his rebus, quæ inter nos agitantur, tua ſapientia modum imponat. Ille brevem in ſe moram eſſe reſpondit, in proximum conclave paulisper abiturum: illic ſe melioris ſapientiæ ſpiritûs ad conſilium arceſſere velle. Cùm eò ſeceſſiſſet, adduxit repente oſtium, ne quis arbiter prudenti nequitiæ interveniret; exuitque illam togam, & gladiolo, quo erat accinctus, ab humeris ad fimbram in longas & exiles partes exſecuit. Ita laceram cùm ſibi iterum injeciſſet, reſerat fores, pervenitque ad Dominum, & intueri rurſus jubet, quàm ornatus incederet. Iracundia arcuit riſum, quia pretioſa erat veſtis, quæ ita in partes perierat, &, O te vecordem, inquit, flagellisque ſcindendum! Nihil verò timuiſti dominicæ veſti furioſas manus afferre? Neque ille conterritus: Ridiculum, inquit, cum vos multò periculoſius inſaniatis, tam graviter mihi iraſci: Hæc eſt veſtræ fortunæ imago, quam indui, multòque ſtolidius Saxonum Principatum perditis, quàm ego hanc togam. Incolumis me decebat, ridetiſque diſcerptam. Ita Saxonia integro corpore viget, armis & opibus gravis; cùm eam autem per partes laceraveritis, nemo priſtinam dignitatem agnoverit.* Add. H. Conringium *Exercit. de Ducibus & Comitib. Imp. Germanic. §. 20.* ubi obſervat: plurimum vires Ducum Comitumque exhauſiſſe Ducatuum & Comitatuum in minutas particulas pro multitudine, qui illuſtribus familiis nati erant, diviſionem. Pufendorf. *l. 7. de Jur. N. & G. c. 7. §. 11.* Quæ & alia mala conſiderantes JCti, jus primogenituræ in dubio receptum eſſe ſtatuunt. Klockius *V. 3. conſ. 102. n. 21. Roſenthal. c. 9. de feud. concl. 56. lit. K.* Et maximè id favorabile, non odioſum cenſeri debet, quicquid dixerit Nicol. Betſius, nuper eo nomine refutatus à Georgio Mel-

Melchiore Ludolphi *de introduct. juris primogenit. part. ſpecial. aph. 8. n. 10.* Hinc in Capitulatione Auguſtiſſ. Imp. Joſephi art. III. notanter conſtitutum eſt, proviſum iri, ut ne jura primogenituræ Domuum Electoralium contra æquum reſtringantur, in verbis: Inſonderheit auch die weltliche Churfürſten bey Ihrem Primogenitur-Recht und ohne daſſelbe wieder die Gebühr reſtringiren zu laſſen ꝛc. Quæ ratio etiam in aliis Domibus Principalibus valet. Jam & ex uno alterove regali non colligimus ſuperioritatem territorialem, niſi alia accedant; & translata regionis particulâ, v. g. oppido, caſtro, vico cum ſuis juribus ac jurisdictionibus, non cenſetur ſimul translata ſuperioritas: quoniam hæc particulis illis non inhæret, niſi paſſivè; præſertim cum recepta in ſummis Imperii tribunalibus ſit regula, jus territorii generali conceſſione non venire: & ſuperioritatem territorialem, etiam in conceſſione generalibus verbis facta, exceptam ſemper intelligi: Quam in rem plura JCtorum nomina congeſſit *Diſſert. de ſuperiorit. territ. §. 65.* Denique ex adminiſtratione ſola ſtatus reipubl. non æſtimatur, ut ex prudentia civili diſcimus. Fac igitur poſtgenitum in exercitio nonnullorum ſuperioritatis territorialis jurium partem facere, non is propterea ſuperioritatem ipſam participabit: tantum temperamentum poteſtatis inde oritur. Planè, ut in Principatibus & Comitatibus Imperii non paucis Statuum provincialium conſenſus ad indicenda tributa & alia reip. negotia adhibetur.

## §. XIV.

Conſequens dictis eſt primo: perperam vulgo (v. Limnæum *ad c. 25. §. 2. A. B. obſ. 11.*) apanagium improprium vocari, quoties in portiones inæquales heredes inſtituti ſunt fratres, inque territoria ipſa cum omni jure etiam ſuffragii in comitiis ſuccedunt, excepto jure capitis familiæ. Nam, ut rectè hic judicat Schilterus *l. 2. J. J. P. tit. 10.* §. 13. hæc eſt ſpecies diviſionis hereditariæ inæqualis, & nihil de apanagii ſive naturâ ſive eſſen-

tiâ participat. Exempla jam ſupra dedimus, quibus adde quæ habet *Diſſert. de ſpecial. Germ. Imp. rebusp. ſect. 2. §. 10. & in not.* Et Sprenger. *in Lucern. jur. public. c. 2. p.* 216. obſervavit, in Domo Naſſovica Dillenbergenſi ex diſpoſitione conventia Principis Ludovici Henrici receptum eſſe, ut ſecundogenitus illius habeat ditionem Drüdorf in apanagium liberum & hereditario maſculinum, loco legitimæ, & quidem cum omnimoda jurisdictione territoriali, ut jure collectandi, epiſcopali, foreſtæ, datiorum, ſequelæ, aperturæ, luſtrationis, delectus, & quæ ſunt ſimilia.

## §. XV.

Deinde hallucinari Springsfeldium *c. 2. de apanag. n. 7. ſequ.* apanagio improprio adnumerantem illud regiminis genus, ubi duo vel omnes ſimul alternatim inter ſe regentes domini ſunt, dividendo uſum jurisdictionis per tempora. Quod vernacula noſtra vocatur **Mutſchierung**/ conflatâ voce ex obſoleto **Mut & muyten** mutare, commutare, teſte Kiliano in etymologico Teutonico, & *ſchiren* / ſcindere, dividere. Unde adhuc in Anglia ſuperat *ſcyra*, regni portio. v. Spelman. *gloſſar. voce Schira.* Cujusmodi regimen fratres Eteoclen & Polynicen ita conſtituiſſe memorat Jocaſta mater apud Euripidem in Phœniſſis, *ut Polynices junior tantiſper volens exularet terrâ, Eteocles verò manens ſceptra terræ teneret, per vices mutantes annum.* Nec deſunt exempla in Imperio noſtro conſignata à *dictâ Diſſert. ſect. 2. §. 13.* Adde Georg. Fabricium rer. memor. Saxon. univerſ. l. 2. ad A. MDLIV. ubi ſcribit: *Joannes Fridericus II. & Joannes Guilielmus, Electoris filii, parente defuncto, de hereditaria ditione, bello Germanico in anguſtum redacta, ſic inter ſe conveniunt, ut quilibet eam per decennium gubernet, initio à natu maximo Joanne Friderico II. facto.* Quin Gerardus de Rhoo *l. 4. hiſtor. Auſtriac. ad An MCCCCVI. p.* 140 *edit. Oenipont.* memoriæ prodidit, cum ſuper Alberti V. (filii Archiducis Auſtriæ Alberti IV. patientis ſive **des Gedultigen**) tutelâ contentio eſſet inter tres ejus patruos, tandem conveniſſe, ut ſinguli per vices, menſtruo quiſque ſpatio, tutelam admini-

ſtrarent. Sanè in hujusmodi adminiſtrationis ſpecie vix intelligi apanagiatus poteſt: ſinguli enim ſunt regionis domini, qui exercitium ſuperioritatis tantum per vices partiuntur.

## §. XVI.

Poſtremùm hinc ſequitur, non minus errare eundem Springsfeldium *d. l. & n. 20.* huc referentem, ubi territorium manet indiviſum, & major natu aut ſenior id adminiſtrat. Nimirum, ut jam ſupra diximus, ex adminiſtratione in oculos incurrente non eſt judicandum de interiore reip. conſtitutione: habent autem heic reliqui fratres jus ἐν κτήσει, etſi uſus ſive exercitium regiminis ſit penes majorem natu aut ſeniorem. Exemplis, quæ *d. ſect. 2. §. 12.* adduxit, adde teſtamentum Sereniſſ. Ducis Vinarienſis Joannis Erneſti An. MDCLXXXIII. 7. April. conditum, cujus verba huc pertinentia ſunt: Darbeneben iſt unſer beſtändiger Wille und Meinung / daß mehrgemelte unſere geliebte Söhne (Wilhelm Ernſt und Johann Ernſt) dem in unſerm Löblichen Hauße Sachſen hierinnen bekannten Herkommen zu Folge / auch umb der gantz erheblichen Urſachen willen / welche beygeſetztes Zweiffels Unſers in GOtt ruhenden Hochgeehrten Herrn Vatters Hertzog Wilhelm Teſtaments hierzu bewogen / und Wir und Unſers Theil ſeeligſt entſchlaffenen Herrn Bruder L. L. Libd. mit einander ſchuldigermaſſen beobachtet / uff begebenden ſeeligen Hintritt / beyde zuſammen in der Gemeinſchafft Unſerer Ihrer Lbd. Lbd. verlaſſenen Lande verbleiben und eher nicht zu Theilung ſchreiten ſollen / bis durch des Höchſten Seegen Deroſelben noch ſo viel Lande anfallen möchten / daß Sie mit der Zeit Fürſtliche Portiones machen / und zu einer erheblichen und austräglichen Landes-Theilung oder Oerterung gelangen können / geſtalt Wir Ihren Lbd. Lbd. mit allem vätterlichen Ernſt und Eyfer uff Ihr Chriſtliches Gewiſſen wollen eingebunden haben. Indeſſen aber / und bis ſich ſolcher Fall begeben möchte / ordnen und wollen Wir / daß umb beſſerer der Land-adminiſtration

willen/ Unſere beyde geliebte Söhne allhier zu Weimar/ als der älteſte Prince Wilhelm Ernſt in der Wilhelms-Burck/ der jüngere Herzog Johan Ernſt in dem ſo genanten Garten-Hauß Rothen-Schloß und Landſchafft reſidiren und Hof halten / jedoch keiner diesfalls vor dem andern eintzigen Vorzug haben ſoll/ ſondern die geſambte Nutzbarkeiten und Intraden (ausgenommen das Ambt Oldisleben/ welches vermög Unſerer Fürſtl. Erb-Verträge jederzeit dem älteſten Bruder oder Vetter Unſers Fürſtl. Haußes/ wegen des Ihme obliegenden Directorii, folget) in zwo gleiche Portiones zu ſchlagen/ und einem jeden zu ſeinem Antheil gewiſſe Aemter und Oerter zu aſſigniren/ welche Er nach Möglichkeit und mit guter menage zu nutzen und zu gebrauchen/ auch ſolches alſo/ ſo lange dieſe Landes-Gemeinſchafft währet/ unverbrüchlich und anders nicht zu halten/ gleichwohl ſolten hierunter die Land- und Tranck-Steuren nicht verſtanden/ ſondern dieſelbe allerdings gemein verbleiben und zu nichts anders als zu Abſtattung der nach Unſerm ſeeligen Abſchiede noch rückſtändigen/ und künfftigen Commun-Diener Beſoldung/ Tilgung der Schulden/ und andern obliegenden Landes-Beſchwehrden angewendet/ und zu ſolchem Ende in die geſambte Ober-Steuer-Einnahme gelieffert werden.

Ferner laſſen Wir es des Directorii halber bey denen diesfalls/ ſonderlich A. 1629. 1640. 1641. 1645. und 1657. aufgerichteten Fürſtl. Verträgen allerdings bewenden/ und wollen Ihre Lbd. Lbd. krafft dieſes uff die darinnen enthaltene Regiements-Ordnung gewieſen haben/ dergeſtalt/ daß nach Unſerm ſeel. Abſchiede Unſers älteſten Sohnes Lbd. einen Weg als den andern die gewöhnliche Landes-Fürſtl. Direction nach Innhalt obangezogener Receſſe, alſo übernehmen/ und in gemeinſchafftliche Nahmen führen ſoll/ daß Se. Durchl. in wichtigen Sachen und vor allen Dingen in denen/ ſo des Heil. Röm. Reichs und Unſers gantzen Landes Friede und Ruhe-

Stand/

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-476245-p0036-3

Stand/ Aufnehmen/ Wohlfahrt/ Nutzen und Schaden/ in Friedens- und Kriegs-Zeiten nach ſich ziehen/ und zuförderſt unſere Evangeliſche wahre Religion, ungeänderte Augſpurgiſche Confeſſion und darzu gehörigen formula concordiæ, Kirchen/ Hohe- und Niedere-Schulen/ Reichs- und Creyß-Händel/ auch Unſers Fürſtl. Haußes und andern Fürſten-Lehn/ geſambte Hand und mit Belehnſchafften/ Anwartungen/ Erb-Fälle/ Erb-Verbrüderung und Erb-Vereinigung/ die Erbvereinigte Chur- und Fürſten Brandenburg und Heſſen/ die Jüliſche/ Swartzburgl. Gleichiſche und andere anhängige oder noch nicht anhängige Differentiē. Item Erbhüldigung in Unſern hinterlaſſenen Landen/ Erhalt- und Ordnung der Regierung/ Conſiſtorii, Renth-Cammer/ Hof-Gerichte und die Univerſität Jena Unſers Fürſtl. Haußes Regalien/ verledigte Graf-Herrſchafften und Ritter-Lehen/ gewöhnliche und ungewöhnliche Steueren und Auflagen/ ingleichem der Lands-Stände und Unterthanen Freyheiten und Gerechtſame/ und dann inſonderheit das gemeine Cammer- und Credit-Weſen anbetrifft und belangen/ anderſt nicht dann mit unſers jüngern Sohnes und Ihrer beeden Lbd. Lbd. geſambten Geheimen- Hof- Conſiſtorial- Cammer-Räthen/ in Landſchaffts-Sachen aber mit der getreuen Landſchafft Rath/ nach dem mehrern Theil der Stimmen auch den Cantzley-Stylum in wichtigen Sachen wie Herkommens führen laſſen ſoll. ꝛc. ꝛc. Quod teſtamentum amica pactio inter Sereniſſimos fratres An. MDCLXXXV. inſecuta eſt.

## §. XVII.

Satis, niſi fallor, hucusque veram apanagiorum in Germanico Imperio indolem delineavimus. At cum illuſtriſſimum rariſſimumque exemplum (vix enim in Annalibus ſimile illo ſeculo de ullo Germanici Imperii Comitatu legas) Comitatus Lippiacus, quæ mihi nunc patria eſt, præbeat, libet cum venia benevoli lectoris heic paulum digredi, ut, quæ in eo juris primoge-

